

pector, corda nostra approbet, innocentiamq;
 nostram & causæ bonitatem perspectam habe-
 at, cur dubitaremus, quin occulta omnia sit tan-
 dem revelaturus & integritatem nostram, si nõ
 in hac vita, saltem in futura & demonstraturus
 & vindicaturus, argumento psal. VII. 4. 5. 6. &
 XVII. 1. 2. 3. &c. 1. Cor. IV. 5. 2. Cor. X. 18.

CAPUT DECIMUMSEX TUM,

De voluntate Dei.

HÆc de Dei intellectu : *voluntas*
 est illius *vita*, qua Deus in bonum
 cognitum fertur.

VOLUNTATEM Deo rectè tribui, tum essentię
 & intellectus Dei perfectio, tum scriptura, ho-
 minumque consensus abunde confirmant, Jo-
 næ 1. 14. Tu, DOMINE, quemadmodum vis, facis. Dan.
 IV. 17. Agnoscant viventes, dominari excelsum in regno
 hominum, adeò ut cui vult, tradat illud, & abjectissimum
 hominum constituat in eo. Rom. IX. 18. Deus, cuius
 vult miseretur, quem autem vult, indurat. Jacob. 1. 18.
 Is, quia voluit, progenuit nos sermone veritatis, ut essemus
 primitiæ quaedam eorum, quæ creavit. Ps. CXV. 3. Deus
 noster in cælis est, quicquid placet, facit. Matth. XX. 15.
 Annon licet mihi, quod volo, facere in rebus meis? Eph. I.
 11. Agit omnia secundum consilium voluntatis suæ. Cum
 autem definitur *opēxi, voē egi*, appetitus rationalis.
 Deo propriè hoc sensu non tribui, rectè notat
 CL. P. Molinæus, quia nec ratio propriè Deo com-
 petit,